

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In festo epiphaniæ Christi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# IN FESTO EPIPHANIAS CHRISTI.

*Evangelium Matth. 2. v. 1.--12.*

## EXORDIUM.

**C**Um Israelitæ Aegypto educti, de Suchoth profecti, per solitudinem ad Palæstinam iter fecissent, Dominus præcessit illos per noctem, in columnâ ignis. Hæc columna ignis non modò eam ob causam illis apparuit, ut lumen illis præberet, & viam ostenderet: sed & Dominus mirabili hæc luce significare voluit, se solo ductore, illos Palæstinam occupare, ejusque hæreditatem consequi posse, Exod. 13. v. 20.

Sicut igitur tùm temporis populus Israeliticus ex idololatria Aegyptiaca ejusque tenebris luce miraculosa eductus est, in eum locum, ubi tabernaculum fœderis & habitaculum veri Dei construxerunt: Ita similiter Deus Opt. Max. primitias gentium miraculosa luce ad cunabula Christi deducere voluit, ut in eum, esse unicum opus divinæ gratiæ, quod Judæi & gentiles ad societatem Regni sui vocati sint: quodque Judæis non adeò revelationibus divinis Patribus suis factis, superbire conveniat, quia pari modo gentiles apparitione supernaturalis luminis ad Messiam vocati sint.

De hæc revelatione, gentilibus facta, agit prælecta Pericope, in qua audimus, quâ ratione Magi ex Oriente, stella nova inloita ad cunas Christi adducti sint; quâ de causa & præsens festum, festum Epiphaniæ Christi appellatur.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

## *Exegesis.*

**C**Um Salomo, jussu Davidis patris sui, Rex inauguraretur, cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon! Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & fidebatur terra à clamore eorum. Adonias autem qui seipsum Regem fecerat, ubi ipse, & omnes, qui cum eo erant, id audiebant, exhorrescebant valdè, maximè vero Adonias, quia metuebat, ne Salomo eum, ut seditiosum justa pœna afficeret, 1. Reg. 1. v. 35. seqq.

Quid accidit Hierosolymis? Ubi Magi ex Oriente, quos cœlestis Pater per novam stellam vocaverat, ut Filium suum, Jesulum recens natum Salvatorem mundi agnoscerent, ejusque nativitatem divulgarent, recens natum Regem Judæorum perquirunt: ecce! tumultus oritur per universam urbem, quilibet enim consternatus est, maximè verò Herodes cum aulicis suis, quia veretur, ne recens natus Rex,

cccc

Regno

Regno ejus insidietur, populus ei adhaereat, & ita autoritas sua non parùm labefactetur.

*Quærela respicit*

I. *Hierosolyma perturbationem.* Audiens autem Herodes Rex, ait Evangelista, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.

Ex rei æquitate tota urbs lætitia exultare debuisset, quia non venerat animas perdere, sed salvere, Luc. 9. v. 56. Sed contrarium testatur Evangelium præsens. Ubi enim Magi Hierosolymas accesserunt, quærentes ubi est, qui natus est, Rex Judæorum turbatus est hoc nuncio

1. *Rex Herodes.* Quia enim tyrannide suâ cujuslibet odium sibi conciliaverat, malefactorum conscientia terret eum, ut quò se vertat, nesciat, semper timens, ne Regnum cum vitâ ei adimatur, & ita sanguis innocenter profusus, vindicetur.

Ubi perspicimus vim malæ conscientia. Propter tyrannidem enim, quam Herodes crudelissimè exercuerat, ille metuit, ne Regno privetur.

Christiani igitur Magistratus omnem crudelitatem fugiant, ne subditorum suspiria in se suscipiant, sed bonam conscientiam retineant, & in gremio subditorum suorum, sine pavore dormire possint, ut Eberhardus Dux Württembergicus dixit: sic à nemine est, quod metuant, sed tranquillè vivere & beatè mori possunt. Hilaris enim mens, quasi jube convivium, Prov. 15. v. 15.

2. *Grex.* Nam & omnis Hierosolyma cum eo turbata est, ut cogitent: Novus Rex, nova Lex, certumque bellum sibi præfagiunt. Malunt proindè Messiam

dimittere, quàm temporali regnie carere.

Ejusmodi hominum hodiètenus non pauci occurrunt, qui bonos Christianos se præsentent, quamdiu cum Evangelio in flore vivere, & nihil adversi sustinere possunt: verùm simulac ratione fidei persecutio ingruit, toti contremiscunt, & terrenorum amore malunt à fide desciscere, quàm quicquam terrenarum facultatem amittere. Hi sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus; quorum Deus venter est, & gloria ipsorum in confusione, Phil. 3. v. 18.

II. *Herodis simulationem.* Simulac enim novellas has acceperat, accessit Magos, quò insidiosè illos persecruteret; & quia à Judæorum Rabbiniis acceperat, Bethlehemi novum hunc Regem nasciturum: amicè illos alloquens in pace dimittit, cum hac instructione, ut diligenter interrogent de puero, & cum invenerint eum, renuncient sibi, ut & ipse veniens adoraret eum. At ut Hieronymus scribit: *Devotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam cordis depingens, colore humilitatis.*

Hæc idea est omnium hypocritarum, qui tam in Ecclesia, externâ ostentatione pietatis, quàm & aliàs in vita communi simulatione amicitia se se ornant, ut Joveri lapidem jurares, esse fidelissimos & integerrimos: verùm si rectè eos inspexeris, contrarium facile deprehendes.

Hi maleferiati sunt, in quibus nescitullula pietatis later, licet ore multùm de illâ jactitent. Sunt illi versipelles, qui quolibet vento circumaguntur, calidum & frigidum spirant ex uno ore; vestes eorum moschum redolent, halitus verò

factet

fæctet, simul gerunt linum & lanam, quod Deus in lege prohibuit, Levit. 19. v. 19. sunt arbori fici similes, in quâ Christus nihil invenit, nisi folia tantum, Matth. 21. v. 19. sunt sicut vasculum fictile, obductum scoriâ argenti, Prov. 26. v. 23. licet amicitiam simulantes dicant, comede & bibe, tamen mens eorum non est tecum, Prov. 23. v. 7. Propterea Deus aliquando disperdet illos, Psal. 12. v. 4. Nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

Quicumque igitur de nomine Christiano verè gloriaturus est, non modò ergà Deum piè, sed & ergà proximum sincerè affectus sit, ut os & cor concordent; aliàs *ving d'Lux* est, inconstans in omnibus viis suis, Jac. 1. v. 8. cui æternum yæ imminet, Sir. 2. v. 14.

Hoc perpendant pii, & quia multæ sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. v. 31. inserviant temporì, ut simplices sint sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes, Matth. 10. v. 16. quod Siracides ita explicat: Multi pacifici tibi sint, & Consiliarius sit tibi unus de mille, Sir. 6. v. 6. confer, Prov. 26. v. 25.

III. Clericorum occupationem. De quibus Evangelista tria recenset:

1. *Vocati concurrunt.* Herodes ab Imperatore Augusto Rex Judææ constitutus erat, huic parere cogebantur, ejusque jussu Concilium congregare; sceptrum enim de Juda ablatum erat, juxta prædictionem Jacobi, Gen. 49. v. 10. Inde sine ulteriori indagine colligere debuissent, tempus Messæ instare. Verùm Diabolas corda & sensus eorum ad eò excæcavit, ut id non intelligant: non illi alium Regem desiderant, nisi Cæsarem, Johan. 19. v. 15.

hinc repudiato Messâ dicunt: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

2. *Scripturas evolvunt.* Hâc in parte bene faciunt, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de Christo, Johan. 5. v. 39. Idem & nos observemus. In Papatu Scriptura tenui in pretio habetur, & relegantur laici ad Concilia & Decreta Pontificum & Patrum. Verùm ita derelinquunt fontem aquæ vivæ, & fodunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13. Ad Legem & Testimonium, Esa. 8. v. 19.

3. *Veritatem erunt,* & indicant Herodi, è capite s. Michæ, ubi Messias nascendus sit, nempe in Bethlehem Judææ.

Ita Principes Sacerdotum & Scribæ Herodi & Magis quidem ostendunt locum, ubi Messias nascendus erat: at illi nolunt eò proficisci, ut Regem novum qui propter illos in mundum venerat, debita reverentia afficerent.

Sunt hâc in parte imago illorum Doctorum, qui quidem aliis inculcant, quid factu opus sit, ipsi verò id non faciunt, de quibus Paulus conqueritur: Qui alium doces, te ipsum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris &c. Rom. 2. v. 21. 24. Horum damnatio aliquando eò gravior erit, scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, Jac. 4. v. 17.

### De Secundo.

**S** Equitur *Medela*, quæ fuit  
1. *Ex gentium vocatione.* Hi Magi gentiles fuerunt, alienati à Republicâ Israel,  
cccc 2 & ho-

& hospites testamentorum promissionis, Eph. 2. v. 12. sed Deus eos non abjecit, sed adminiculo novæ stellæ ad Regnum Christi vocavit. Messias enim futurus erat desiderium omnium gentium, Hag. 2. v. 8. Hinc Leo: *Voluit ab omnibus nosci, qui dignatus est pro omnibus nasci*: sicut & duo ejus nomina eò collineant. Jesus enim nomen Hebræum est, significans Salvatorem. Christus verò Græcum, & idem est, ac unctus. Hoc ipso indicatum est, esse eum Servatorem omnium hominum, Judæorum & Græcorum. Non enim acceptor personarum est Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 34.

Hoc probè advertite, Vos mei! Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux estis in Domino, Eph. 5. v. 8. ideò ut filii lucis ambulate, Luc. 16. v. 8. aliàs damnatio vestra olim eò gravior erit. Servus enim, qui cognovit voluntatem ejus, vapulabit multis, Luc. 12. v. 47.

Exultate igitur in hoc beneficio ex animo, ô optimi! Potuisset Deus, si Judaica gens gratiam ejus aspernaretur, alios populos creare, vel sine omnibus mortalibus esse. Sed minimè id faciens, nos Gentiles suscipit, qui Deum non agnoveramus, aliis Diis servieramus, in tenebris & enormibus peccatis vitam transegeramus, nobisque Filium suum nasci voluit, æque ac Judæis.

Nulla igitur Judæi prærogativa hâc in parte amplius gaudent. Ipsi promissus fuerat Messias, Ethnicis similiter. Illis donatus est, nobis Japhitis itidem. Illis annunciatus est, & nobis. Illos redempturus erat, & nos. Illos salvare vult, &

nos. Propterea Angelus ait: Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod paratum est omni populo. Et Simeon ait: Hic Jesus paratus est ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam Israel, Luc. 2. v. 31. Quod & Paulus testatur, inquit: Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, Tit. 2. v. 11.

Agnoscite indebitam hanc Dei gratiam, gratâ mente, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit, in admirabile lumen suum, 1. Petr. 2. v. 9. Dicite cum Regio Psalte: Laudate Dominum omnes gentes, Psal. 117. v. 1. 2.

II. Ex stella apparitione. Quæ hæc stella fuerit, variæ sunt opiniones. Nonnulli ex Veteribus Ecclesiæ Doctoribus Angelum fuisse autumant, qui in figura Cometæ apparuerit, quia Angeli in Scriptura stellæ, Apoc. 1. v. 20. & flamma ignis vocentur, Psalm. 104. v. 4. quia & Israelitas Angelus in columnâ ignis præcesserit, & noctu illis lucem præbuerit, Exod. 13. v. 23.

Sed nos literæ in hærentes, stellam fuisse putamus, quia ab Evangelista aliquoties disertè stella appellatur. Non tamen fuit stella vulgaris, sed nova & inconsueta, ideò à Deo creata, ut esset Evangelista divini paritûs, ut Isidorus loquitur. Quod inter alia & motus ejus ostendit. Aliæ enim stellæ ab Oriente in Occidentem, hic verò ab Hierosolyma in Bethlehem, & ita à Septentrione in Meridiem ferebatur: modò movebat se, modò consistebat, modò evanescibat, modò vicissim apparebat. Unde patet, non vulgarem, sed miraculo-

sam

sam stellam fuisse, per quam Magi in fide sua non parùm confirmati sunt,

1. *Ortu.* Cum enim eandem amisissent, perturbantur: sed mox apparens liberat eosdem ab omni dubio, quo hactenus Satanâ fidem eorum confuderat.

Cape hinc solatium, mi Christiane! si & tu quandoque stellam lætitiæ amittas, ut queri cogaris: Inclinator & incurvatus sum valdè, tota die pullatus ingredior, Psal. 38. v. 7. perge modò in curriculo pietatis: Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia, Psal. 97. v. 11.

2. *Motu.* Rectâ enim antecedebat eos, & motu suo viam iis ostendebat.

Ejusmodi stellam Deus nobis lucere finit in verbo suo, hanc sequamur, si à rectâ calle aberrare non velimus. Hinc Petrus: Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui rectè facitis attendentes &c. 2. Petr. 1. v. 19.

Occurrunt quoque ignes erratici, qui noctu viatores à recta via abducunt, & in periculum præcipitant. Quod si & te fortè unus atque alter à Christo ad Sanctos abducere gestit, certò scias, non veram stellam, sed ignem fatuum esse, quo te Diabolus in damnationem seducere conatur. Ergò tu permane in his quæ didicisti, 2. Tim. 3. v. 14. Sir. 34. v. 8.

3. *Statu.* Nam stetit super domum in quâ puer est, & hoc ipso Magis indicat, quod in his ædibus novus Rex Judæorum inveniatur.

Sic stella verbi divini stat, ubi Christus est, & non amplius progreditur. Itcirco Christianus non amplius pergat, neque ad imagines, neque ad reliquias, neque merita & intercessionem Sanctorum, Christus

est unica via ad Regnum cælorum, Ioh. 14. v. 6. Non est in alio quoquam salus, Act. 4. v. 12.

III. *Ex Mayorum conservatione.* Herodes infidias ipsis struebat, & animo meditabatur, quâ ratione revertentes ad se occultè trucidaret, ne nativitatem recensati Regis ulterius divulgarent: Has astutias illi quidem nesciebant, at Deus curâ eorum tactus, responsum ipsis dabat in somno, ne reflecterent ad Herodem.

Ita Deus adhuc hodiè pro fidelibus suis excubat. Gratia & misericordia est in sanctis ejus, & inspectio in electis ejus, Sap. 3. v. 9. Dormientibus nobis ille vigilat, ne accidat nobis malum, nec plaga appropinquet tabernaculo nostro, Psal. 91. v. 10. oculus ejus nunquam dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 4. & mutatio dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. ipse facit, ut confundantur & perturbentur inimici nostri, avertantur & confundantur valdè velociter, Ps. 6. v. ult. Regit eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit eos, Psal. 2. v. 9. ponit circulum in naribus eorum, & frenum in labiis eorum, Esa. 37. v. 29. dissipat consilia eorum, Esa. 8. v. 10. novit corda eorum, & renes scrutatur, 2. Reg. 8. v. 4. projicit eos, tanquam ventus quisquillas, Psal. 1. v. 4.

Hæc providentia ejus solatium tuum esto, in omnibus angustiis & periculis. Devolve super Dominum viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, Psal. 37. v. 5. Dic: Non timebo myriades populi, circumdantis me, Psal. 3. v. 7. Psal. 4. v. ult. Psal. 27. v. 1. seqq. Psal. 56. v. 5. 12.

## De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur  
Regulis, ut sunt:

I. *Christum quære*. Ubi enim Hierosoly-  
mam veniunt, non quæ ibi rara visu erant,  
sed Messiam sollicitè inquirunt, & subindè  
repetunt: Ubi est recens natus Rex Ju-  
dæorum?

Hoc etiam, & Optimi! nostrum quoq;  
Symbolum esto, quod cum Bernhar-  
do identidem ingeminemus:

Quocunque loco fuero,  
Jesum meum desidero,  
Quàm lætus, cum invenero,  
Quàm felix, cum tenuero.

Mundani quærant de cauponis, in quibus  
cerevisia & vinum prostant, perquirant  
voluptates, inquirant aurum & argentum  
& alia. Sed pii Christum investigent,  
hunc anhelant, hunc desiderant, quò per  
fidem sanctissimum ejus meritum sibi ap-  
plicent. Qui invenit Jesum, invenit the-  
saurum bonum, super omne bonum, ait  
Gerson. Dicturus cum Assapho: Quid  
enim mihi est in cælo? & à te quid volui  
super terram? Psal. 73. v. 25.

Si proindè templum ingrederis, cogita  
& dic in corde tuo: ubi est novus Rex  
Judæorum? veni ut audiam verbum ejus,  
& in corde puro custodiam illud, Luc. 8.  
v. 15.

Si Confessionarium accedis, vicissim  
cogita: Ubi est novus Rex Judæorum?  
veni, ut remissionem peccatorum ab eo  
impetrem.

Si cœnam Domini accedis, iterum dic:  
ubi est novus Rex Judæorum? veni, ut

corpus & sanguinem ejus, sub benedictis  
Symbolis, pane & vino accipiam.

Si in acie novacula versaris, & ab omni-  
bus mortalibus desertus es, quære in ora-  
tionè tuâ: Ubi est novus Rex Judæorum?  
Jesús est Salvator meus, qui dixit: Cum  
ipso sum in tribulatione, eripiam eum, &  
glorificabo eum, Psal. 91. v. 15.

Quod si hoc modo semper de Christo  
cogitabis, omnia quæcunque desideras  
in eo invenies. Nam Ambrosio dicente:  
Omnia Jesús nobis est, si volumus: si vul-  
nera curari desideras? Medicus est. Si fe-  
bribus æstuas? fons est. Si gravatis ini-  
quitate? justitia est. Si auxilio indiges?  
virtus est. Si mortem times? vita est.  
Si cælum desideras? via est. Si tenebras  
fugis? lux est. Si cibum quæris? ali-  
mentum est.

II. *Stellam sequere*. Hæc in parte Magi  
nobis præeunt. Videntes enim novam  
stellam, sequuntur eam, nec citius desi-  
stunt, quàm recens natum Judæorum Re-  
gem invenerint.

Audiverant vaticinium Bileami, qui af-  
flatu Spiritus Dei, de Messia prædixerat:  
Procedet stella ex Jacob, & confurget vir-  
ga de Israel, Num. 24. v. 17. idèò visâ hæc  
stella facilè colligunt, esse stellam Messia.  
Accedit, quod Propheta Daniel in Scholis  
Persarum instructus, Inspector & Scho-  
larcha postmodum super illas constitutus  
est à Rege, ubi sine dubio multoties de  
Messia prædicavit, & quæ plures causæ  
moverent fuerunt. Hoc enim certum  
est, quod ex solius stellæ apparitione, nati-  
vitatem Messia cognoscere non potue-  
runt. Non solius hæc stella fuit, ve-  
rùm etiam Dei, per quem illorum ad  
hoc

hoc anima cominota est, inquit Chry-  
sostomus.

Nos hoc discamus, quodsi ad Chri-  
stum venire velimus, Deus luce miraculosa  
nos ad eum adducere debeat. Natura enim  
tenebrae futurus, obsecuratum habentes in-  
tellectum, Eph. 4. v. 18.

Sicut igitur Deus in primæva Creatio-  
ne, primum lucem creavit: Ita & ante  
omnia lux agnitionis ejus in cordibus no-  
stris oriatur, necesse est, quando aliquando  
gaudii cœlestis consortes evadere lubet.  
Hoc sine quotidie in spiritali Ecclesiæ  
cœlo, nobis oriri sinit stellam verbi sui,  
qui nobis viam ostendit, ubi Christum  
inveniamus. Proinde hanc stellam ne  
aspernemur, sed illic cum Magis surgen-  
tes, ambulemus in luce, dum lucem habe-  
mus, ne nos tenebrae comprehendant, Joh.  
12. v. 35. hinc Ecclesiæ:

Est præ meo tuum pede

Verbum Lucerna pendens:

Lumenque dirigens viam;

Si lucifer resplendens,

Est ortus hic

In corde sic

Donis homo potitur:

Quæ Spiritus

Credientibus

Donanda pollicetur.

III. *Minera exhibe.* Magi apertis thesau-  
ris suis donarunt Jesulo recens nato, Au-  
rum, thus, & myrrham, quæ sunt,

1. *Dona Eucharistica;* quibus gratum  
suum animum in Christum contestari vo-  
luerunt. In Orientalibus enim Regioni-  
bus mos obtinebat, ne quis sine donis  
Regem accederet, ut exemplo fratrum

Josephi, & Regiæ Arabiæ constat, Gen.  
43. v. 11. 1. Reg. 10. v. 2. Huic mori con-  
formant se Magi, dum Judæorum recens  
nato Regi, donatia offerunt, & ita fidem  
suam ostendunt, quod non sit mortua,  
Jac. 2. v. 17. sed per caritatem efficax, Ga-  
lat. 5. v. 6.

Hoc nostri quoque officii erit. Deus  
cœlestis Pater, nos quoque qui aliquando  
ad vias & sepes sedebamus, Luc. 14. v. 23.  
& loammi vocabamur, Os. 1. v. 10. per  
concionem Evangelii ad præsepe Filii sui  
adduxit, & in Regnum lucis vocavit,  
1. Petr. 2. v. 9. Offeramus ergo ipsi mune-  
ra, nimirum vitulos labiorum nostrorum.  
Osc. 14. v. 3. quod placebit Deo super vi-  
tulum novellum, cornua producentem  
& ungulas, Psal. 69. v. 32. Aperiamus  
quoque thesauros nostros, ut de bonis  
nostris, ad cultum divinum, & sustenta-  
tionem pauperum aliquid erogemus,  
id Christus sibi factum æstimabit, &  
affatim compensabit, Matth. 25. v. 40. 46.

2. *Dona mystica,*

1. *Respectu Christi.* Nam

Aurum, thus, myrrham, Regique

Deoque hominique

Donata ferunt, ut Poeta canit.

2. *Respectu nostri.* Per aurum enim si-  
gnificatur fides salvifica, quæ in igne tri-  
bulationis non consumitur, sed potius  
probat, 1. Petr. 1. v. 7. seqq.

Thure denotatur oratio, quæ in omni-  
bus necessitatibus eum invocemus, quæ o-  
doramentum est Sanctorum, Apoc. 5. v. 8.  
Quia verò Deus thus materiale nihil cu-  
rat, Jerem. 6. v. 20. nec precationem, nisi  
è corde proficiatur, videamus ut cor ei  
faci-



sacrificemus per veram poenitentiam, Psal.

51. v. 19.

Per myrrhas adumbrata est crucifixio carnis, quam omnes Christiani commendatam sibi habeant, ne regnet peccatum in mortali eorum corpore, Rom. 6. v. 12. Sicut enim inter alia corpus Christi & myrrha inunctum est, ut innueretur, non visurum eum corruptionem, Psal. 16. v. 10. quod & Magos respexisse, veterum opinio est: ita & nos ad exemplum Christi, peccatis moriamur, iustitiae vivamus, 1. Petr. 2. v. 24. 2. Cor. 5. v. 17.

Si ita exemplo Magorum thesauros nostros aperuerimus, ipse quoque optimum suum thesaurum, caelum nobis aperiet, Deut. 28. v. 12. effusus benedictionem suam ad abundantiam, Mal. 3. v. 20. quin & suo tempore ex hac miseriarum valle, nos assumet ad se, in eum locum, ubi non est thesaurorum finis, Esa. 2. v. 9. sed vitam habeamus, & abundantius habeamus, Joh. 10. v. 11.

O Jesu! facias hoc propter nomen tuum! Amen.

## IN DIE FESTO CONVERSIONIS PAULI.

*Evangelium Matth. 19. v. 27. -- 30.*

### EXORDIUM.

**C**Um Regius Propheta David morti vicinus esset, praecepit filio Salomoni, sibi in Regno succedenti, ut filiis Berzellai, Galaaditis redderet gratiam, essentque comedentes in mensa ejus: occurrerunt enim mihi, inquit, quando fugiebam a facie Absolom fratris tui, 1. Reg. 2. v. 7.

Hanc historiam Evangelio praesenti applicabimus. Sicut enim Berzellai fides, quam Davidi, tempore persecutionis suae praestitit, non sine remuneratione relicta fuit, dum eum ultra Jordanem secutus, cum e persecutione degeneris filij liberatus in Regnum restitueretur, ut constat, ex 2. Sam. 19. v. 31. seqq. sed hoc ipso consequeretur, ut filii ejus cum Salomone su-

per mensa cibum caperent: Ita & Christi discipulis omnibusque sectatoribus Jesu, affatim imò centuplum remunerabitur, quod propter eum fecerunt vel passi sunt, ut praelecta Pericope probat. Quia enim Christi discipuli omnia reliquerunt, seque secuti sunt, ubi a filio degeneris Absolone, h. e. ab Ecclesia Judaica, non receptus est, Joh. 1. v. 11. & corporaliter & spiritualiter eos sustentatum iri pollicetur, ut non destituantur omni bono, Psalm. 34. v. 11.

Quod propter Christum non dilexerint animas suas usque ad mortem, sed ut constantes confessores illas spontè profuderint, Apoc. 12. v. 11. consecuturos esse vitam aeternam, ubi abundantia

gau-